



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 46. Conditiones in deditioe Cadomi pactæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. XLVI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1450.*Conditiones in deditioe Cadomi  
pactæ.*

Rege adventante, confestim castrensia aperiuntur valla, & Dunensis Comes munimenta Vausselii ad flumen Ornum erecta aggreditur, ac post validam hostium defensionem vi occupat. Demum ruptis cuniculis muri, turrisque pars versus S. Stephani Abbatiam eversa est, quo fato obsessi tanto perculsi sunt terrore, ut deditioem facere decernerent, veriti, ne denique urbs tota vi caperetur. Rex, cum aliunde civitatem adeo opulentam militum deprædationi relinquere abhorreret, faciles supplicantibus aures præbuit, ea tamen lege, ut non solum civitas, sed arx quoque pactis conditionibus cederetur. Postera die, quæ erat S. Joanni Baptistæ sacra, colloquio habito hæc deditiois capita sancita fuere: I. Angli urbem & arcem die prima Julii Regis dominio tradent. II. Dux Somersetus, ceterique omnes Angli, eorumque conjuges ac liberi cum sua quisque suppellectili egredientur in Angliam nec aliorum, propriis tamen sumptibus migraturi, in quem finem naves ac currus, data tamen pro navium securitate cautione idonea, ministrabuntur. III. Nul-

*Hist. Eccles. Tom. XXVIII.*      T lum

Sæcul. XV.

A.C. 1450

lum tormentorum genus secum auferre poterunt. IV. Angli omnes captivos Regi liberos reddent, denique si quos in urbe debitores habeant, solutionem ab eis repetent. His pactis utrinque firmatis, ac in omnibus plene executioni datis, Prætor claves urbis, ac arcis Connestabili tradidit, qui easdem Comiti Dunensi obtulit. Ille enim Regis nomine civitatis hujus Præfectus est nominatus, qui & solemni pompa die sexta Julii Urbem ingressus est.

## §. XLVII.

*Falesia obsidione cincta.*

Eodem die, quo Rex Cadomum ingrediebatur, Pontonus Santrallius tum machinis, tum ductis aggeribus Falesiam urbem aggreditur, Joanne Burellio Galliæ Thesauri Præfecto tormenta bellica advehente. Sub idem tempus Rex Cadamo relicta in Abbatia S. Andreæ sedem fixit, commisitque Alenconio Duci stationem S. Margarithæ, Dunensi autem Comiti Gubracum, dictæ civitatis suburbia, concredidit. Obsessi resistendo impares die decima Julii petito colloquio deditionem offerebant, Anglis urbem & arcem die vigesima prima ejusdem Mensis Regi reddere pollicentibus, nisi infra hoc tempus suppetiis juvarentur. Cum vere